



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

3. Sociabilitas est necessaria religioso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

naturæ cum humana in Christi persona. Quantum bonum est electis & hominibus & angelis, ex societate beata, quam habent cum Deo. Et notandum quod qui est in bona societate, habet inde emolumentum, & in vita, & in morte & post mortem. De emolumentis quæ habet in vita, satis patet ex prædictis. Emolumentum quod habet in morte, est securitas. Securior est transitus per locū periculosum cum societate, quàm sine societate. Vnde cū transitus mortis valde fit periculosus, magna securitas est illi, quem bona societas in morte orationib⁹ iuuat. Transitum istum timebat Bernardus cū dicebat in meditat. suis. O anima mea, quis erit ille pavor, cū tibi occurentia cateruatim illa teterrima monstra videbis? Emolumentum post mortem est fratrum subuentio. Qui in sancta societate est, quando moritur, ipse in suis fratribus viuit, qui ei post mortem suffragamur.

*Quàm necessaria sit sociabilitas illi qui est
in religione.*

CAPVT III.

Commendato statu viuientium sub obedientia, & in societate, ostendendū est, quàm necessaria sit sociabilitas illi qui in societate secundum professionem suam semper debet viuere. Sociabilitatem verò intelligo gratiam habendi se debito modo cum proximo. Quæ autem ad hanc sociabilitatem pertineant, in parte ostendit Bernardus his verbis: Arbitror quòd tu qui in congregatione es, bene viuis, si ordi-

*Serm. 1. in
fest. Apost.
Pet. et Pau.
post med.*

Q₃ nabi-

nabiliter, sociabiliter, & humiliter viuis: ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo. Et subdit: Sociabiliter, vt studeas amari & amare: blandum & affabilem te exhibere: supportare non solum patienter, sed etiam libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morū, quam corporum. Circa sociabilitatem notandū, quod sicut membrum humani corporis coniunctionem sui ad cætera membra naturaliter amat; sicut tremor indicat quem habet, cū separatio sibi imminet, & dolor quem patitur, cū ab eis separatur, vel cum dislocatur: sic frater qui est in congregatione, iuncturam sui cōuenientem ad cæteros fratres debet amare, & separationem vel inordinatam coniunctionem timere: sicut accidentis esse, est in alio esse, sic membri esse, est cum alio esse. Et sicut membrū naturaliter appetit esse, & fugit non esse: sic naturaliter appetit vnitatem cum aliis membris, & timet separationem. Separatum est inutile: oculus erutus inutilis est, similiter & manus abscissa. Sic qui per apostasiam à congregatione separatur, inutilis efficitur: iuxta illud: Homo apostata vir inutilis. Si verò manens in cōgregatione ad fratres male se habet, in dolore viuit: & aliis doloris &urbationis caussa existit.

Pro. 6.

Commendatio vnitatis.

CAPVT IIII.

Cvm vnitas in congregatione valde sit necessaria, cōmendanda est, vt ametur: diuindenda, vt plenius cognoscatur. Tangendum est etiā de his quæ eam efficiunt, vt ad eam acquirendam